



# Disputatio juridica inauguralis de integrum restitutionibus

<https://hdl.handle.net/1874/342133>

31.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A  
I N A U G U R A L I S,  
D E  
I N I N T E G R U M  
R E S T I T U T I O N I B U S,  
Q V A M,  
P R A E S I D E D E O O P T . M A X .  
*E x A u c t o r i t a t e M a g n i f i c i R e c t o r i s ,*  
D . M . J O A N N I S L U Y T S ,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii ,

U T E T

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu , Nobilissimeque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto ,*  
P R O G R A D U D O C T O R I S ,  
Summisque in U T R O Q U E J U R E honoribus & Privi-  
legiis ritè , & legitimè consequendis ,

*Publicæ disquisitioni exhibet ,*

J A C O B U S H U N E K E N .

*A . D . 3 . Sept . hora locoque soliti .*



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

---

Ex Officina FRANCISCI HALMA , Academiæ  
Typographi , d̄c lcc LXXXVIII.

ДИСПЕЛАТИОНАЛ  
ДАКАУСКАЯ  
ДА

М У Я Т И И  
С О И О Н И А С

С Т Р О Н С К И Й О М С

И Я Л И О Н З У К О В И

Т Р А Г И Й Б Ь Л и м а н

Ex Officis F. Vincenzi, J. G. W. A. Schmid  
Tabogsbpi, cib po Lxxviii



REVERENDISSIMO  
SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
D. ERNESTO  
AUGUSTO  
DEI GRATIA EPISCOPO  
OSNABRUGENSI , DUCI  
BRUNSWICENSI ET LU-  
NEBURGENSI

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

A 2

F E-

FELICES LONGA SERIE ANNOS  
PROSPEROS RERUM SUCCESSUS  
TEMPORA PACATA  
AUGUSTISSIMÆ DOMUS  
OMNIGENA INCREMENTA  
HUMILLIME ET DEVOTISSIME  
APPRECOR  
MEQUE MEASQUE OPERAS  
FIDE QUA POSSUM ADDICTISSIMA  
COMMENDO

SERENITATIS VESTRÆ

Humillimus Servus

JACOBUS HUNEKEN.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS.

# DE IN INTEGRUM RESTITUTIONIBUS.

## C A P U T I.

I.



Egibus atque institutis Academicis satisfacturo mihi hæc in Integrum Restitutionis materia potissimum arrisit, per se satis commendabilis, affirmante idem Ulpiano l. i. D. de in int. rest. non quasi eo arrogantiæ pervenerim ut vel novi quidpiam de ea proferrem, vel meliore & accuratiore methodo post perfectissimum & absolutissimum

Sfortiae Oddi JCti clarissimi opus singula exsequerer, quin potius ingenue fatear onus maximum nec humeris meis ferendum me suscepisse, nisi lectorum, ad quam unice confugio, benevolentiam, ingenii mei defectum abunde suppleturam, certo certius mihi persuaderem. Annitar itaque ut pro viribus meis paucis pagellis quædam de hac materia complectar, siquidem in magnis mihi voluisse sat erit.

II. Antequam autem rem ipsam aggrediar, sciendum est *omne jus quo nimur vel ad personas, vel ad res, vel ad actiones pertinere,*

A

§. ult.

## 2 DISPUTATIO JURIDICA

§. ult. *J. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* sunt enim personæ quæ controversias in jure seu judicio movent super rebus, quarum conservandarum, consequendarumve gratia actiones adhibent, quæ sunt remedia eum in finem constituta, (definitur enim actio *jus persequendi in judicio quod sibi debetur* §. 1. *J. de act.*) Dividi non male hæc possunt in ordinaria vel extraordinaria, illa certa & generali lege, vel edicto constituta, hæc autem personæ aut negotio alicui speciatim vel contra ius commune concessa sunt, *I. 16. pr. D. de min.* ita tamen ne quis ordinario auxilio tutus extraordinarium impetrare possit *d. I. 16.* nisi hoc pinguis sit, qua de re postea, *conf. Bach. Vol. I. Disp. II. Th. 14. Lit. A.* Ex remediorum extraordinariorum variis speciebus eam hic tractandam sumpsi quæ rescidit ea quæ summo & mero jure civili valent, diciturque *Restitutio in Integrum.*

III. *Restitutionis* verbum latissimam habet significationem *Sfort.* *Odd. p. I. q. I.* aliquando enim ad res, aliquando ad personas refertur; ad illas refertur cum rerum restitutione agitur, (Vid. tamen & *pr. J. de aer. div. junct. §. 17. J. eod.* ibidemque doctissime differentem *Arn. Vinnium in Comment. suo ad illum titulum*) fitque hoc dupli modo, vel enim ad rerum statum vel ad dominium seu possessionem refertur; ad illum rursum dupliciter, & tum vel proprie cum scil. *reficere* significat, *I. 25. §. 2. in f. D. locat.* vel improprie accipitur, & tum verbo *restituere* quasi *destruere* designatur, destructionis vocabulo non vulgari sensu accepto sed potius ut id quod circa priorem rei alicujus statum innovatum est, tollatur, & per consequens in pristinam formam reducatur, monstrante id *I. I. §. 1. D. de op. nov. nunt.* De domino vel possessione cum dicitur *restitutio* idem fere vult, videlicet rem in pristinum statum deducere, aut reponere, id est cum omni sua integritate, accessione, &c. *I. 9. §. 7. I. 12. D. quod met. causa. add. I. 25. D. de V. S. I. 20. D. de rei vind.* estque hoc per totum jus nostrum manifestissimum. De personis quoties verbo *restituere* utimur, distinguendum an cum aliqua qualitate (quæ tum potissimum spectanda venit) an vero simpliciter dicitur quis restitui, quo casu *integra & plenissima* indigitatur *restitutio,*

tutio, exempla habemus in l. 1. C. de sent. pass. & rest. & §. 1. Jur. quib. mod. jus patr. pot. solv. d. flentit aliquo modo Vinn. in Comm. suo ad d. §. 1. f. ob l. 2. 6. & 9. C. eod. quicquid sit non tamen ideo penitus distinctio hæc improbari potest. Denique ut hoc addam invenimus in jure nostro restitui dici tutelam curationemque quoties ejus gestæ ratio redditur, l. 32. D. de min. Vocis *Integrum* sive in *Integrum* acceptio itidem varia est, uti videre est l. 14. C. de prox. sacr. scrib. l. 1. C. de reput. quæ sunt in iud. &c. l. 2. C. de bon. vac. l. 1. §. 1. C. de suffr. l. 15. §. 4. D. dere iud. §. 14. Inst. de rer. div. l. 19. C. de rei. vind. Optime autem naturæ ipsius Restitutionis in *Integrum* convenire videtur significatio quæ est in l. 21. §. 1. D. ad SCtum Syllan. ibi enim actio extincta ut ita dicam reviviscit & quasi resuscitatur.

IV. Hactenus satis de verborum *Restitutionis* & in *Integrum* significationibus nunc ulterius progrediamur, & quidem primo quasi per brevem superiorum recapitulationem observandum aliquando & restitutionem ad ordinaria non autem ad extraordina-ria remedia pertinere, quod patet ex l. 2. C. de ref. vend. si creditores læsi sint per alienationem à debitoribus in ipsorum fraudem factam ordinariis, restituuntur remediis, debitor cum vendidit rem pignori vel hypothecæ obligatam, in præjudicium creditoris cui erat obligata, competit creditori actio ordinaria hypothecaria ad contractum hunc rescindendum, uti hæc ex Inst. manifesta sunt, add. tit. D. quæ in fr. cred. facta sunt &c. Alia quoque est restitutio gratiæ cum quis adversus sententiam condemnatoriam à solo Principe restituitur, de qua tit. D. & C. de sent. pass. & rest. dividiturque in plenam & minus plenam, Vid. quæ sup. §. 3. Paulo post med. Alia est justitiæ restitutio eaque vel civilis utpote Principum constitutionibus originem debens, quæ per falsi accusationem inducitur, l. 33. D. de re jud. tit. C. si ex falso instrum. vel testibus jud. vel præatoria, de qua hic l. 3. D. de rest. in int. in causis tamen civilibus locum habens, fit hæc vel implorato extra ordinem Judicis officio, quo facto dein adversarius in jus vocatur, arg. l. 39. D. de evict. vel data actione ad rescissio-nem & amissiæ rei restitutionem, aut id quod interest. Non ta-men

#### 4 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

men admittimus duplex hic intervenire judicium rescindens & re-scisorum , add. *Vinn. Sel. Jur. Quest. l. 1. c. 10. Struv. ad l. 4. Dig. tit. 1. §. 3.* sive simpliciter rescindatur quod gestum est , *l. 21. §. 5. D. quod met. causa.* Sive res insuper reddenda sit , *l. 24. §. 4. D. de min.* sive actio exstincta restituatur *§. 5. f. de act.*

V. Hæc in integrum restitutio varie à DD. definitur , conf. *Frantz. ad tit. Dig. de in int. rest. Odd. p. 1. q. 1. a. 4.* mihi admodum placet ea quæ est Impp. Valeriani & Gallieni *l. 2. C. in qui-bus ca in int. rest. nec. non est.* quod sit redintegratio amissa cause , vel Pauli *l. 1. rec. sent. tit. 7. §. 1.* ubi restitutionem in integrum redin-tegranda rei seu cause actionem vocat , de qua *Vid. Han. ad Wésemb. tit. de in int. rest. n. 5.* quæ quam bene rei definiendæ convenient ex seqq. per se satis patebit. Quæcumque igitur juxta hanc definitionem alicui per læsionem suere ablata , ea per restitutionem ei redundunt , & regulariter quantum læsio abstulit , tantum tribuit restitutio , res enim redintegratur , *tit. C. de rest. que sunt in iud. in int. rest.* evenit tamen ut aliquando minus per restitutionem tributatur , qua de re *Vid. l. 24. §. 4. D. de min. l. 26. §. 7. D. ex quib. caus. maj.* Estque hæc restitutio duplex , vel minorum , & his similium , vel majorum.

VI. Originem *restitutio in integrum* debet juri & æquitati na-turali , nihil enim iniquius est quam alterum cum alterius detri-men-to fieri locupletiorem , *l. 14. D. de cond. indeb.* æquissimum vero circumventis & lapsis quocumque modo subveniri , ne sce-ribus & malitiis porta aperiatur ; verum quidem est pacta & con-ventiones esse servandas , verius autem eas si iniquæ & injustæ sint rescindendas esse ; de jure naturali elegantissime differentem *Grot-tium Vid. l. 1. de f. B. & P. C. l. N. 10. &c.* non mirum ergo si Prætor hanc naturalem æquitatem secutus corrigendi mitigandi-que juris civilis ergo , hoc remedium summopere publicam & privatam utilitatem spectans ( licet illam si stricte sumatur tan-tum secundario ) introduxit . Hinc non male generalitas hujus beneficii insertur , monstrante id insuper *l. 7. per tot. D. de in int. rest.* licet certæ solum restitutionis cause edicto insertæ sint , ete-nim hæx frequentiores sunt , quare & de iis singulis distinctius suo loco agetur.

VII.

I N A U G U R A L I S. 5

VII. Referenda est restitutio in integrum ad eam Jurisdictionis speciem quæ est de causis civilibus, & nomine mixti imperii venit Vid. l. 3. D. de Jurisd. conf. l. 7. §. 10. D. de Paſt. l. 37. § 1. D. de leg. 3. hujus duæ sunt species, aut enim Magistratus per se cognoscit, aut Judicem pedaneum dat, cui formulam præscribit, jubetque sententiam ferre. In quæſtionibus facti incerti præcise cogebatur Judicem pedaneum dare, uti hoc ex formulâ illi præscribi solitis clare evincitur; in quæſtionibus autem facti certi arg. l. 9. D. de jure jur. vel juris (id est æqui bonique) ipſe cum consilio cognoscebat, l. 17. D. de inoff. test. l. 6. D. eod. imo amplius dicam, quoties de æquo & bono quæſtio erat, licet illi misceretur quæſtio facti, tamen Prætor ipſe cognoscebat, uti hoc inter alia in restitutione in integrum accidit. Hinc sponte sequitur judices pedaneos non potuisse restituere, (neque etiam id vult l. ult. C. ubi & apud quem cogn. ref. &c. quippe quæ de iis solum quibus mandata est Jurisdiction, quoſque restituere posse ob d. l. omnino affirmamus, mentionem faciat) ut nec Magistratus municipales l. 26. §. 1. D. ad municip. nec arbitri compromissarii vel consensu partium electi, d. l. ult. C. sed solummodo Magistratus coram tribunali l. 9. §. 1. D. de off. procons. qualis Prætor, Præfectus urbi, &c. ut & Præfectus prætorio l. 17. D. de min. Princeps, variisque in casibus nemo niſi Princeps restituere potest, veluti adversus sententias Prælectorum prætorio, & Procuratorum Cæſaris, l. 1. C. ubi & apud quem cogn. &c. Nec tantum contra suam, sed & contra antecessorum aliorumque Judicium sententiam restituere Magistratus possunt l. 16. §. ult. l. 42. D. de min. (nec tamen sponte, sed solum si extra ordinem adversus eam sit petita restitutio aliter quam in interlocutoriis sententiis obtinet, Vid. l. 14. D. de re jud. l. 1. in fin. D. de quæſt.) Minor autem Magistratus contra sententiam majorum non restituit. l. 18. pr. D. eod. de min.

VIII. Ordo nunc postulat ut videamus ubinam, id est in quo foro, sit petenda restitutio, variant hic maximopere D. D. ego cum Frantz. ad tit. D. de ref. in int. N. 32. ita rem expedio, etenim aut restituitur major, aut minor, si ille, restitutio vel in

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

loco domicilii vel rei sitæ petenda est, prout actio qua agendum vel in personam vel in rem est; ergo in loco domicilii petenda tantum erit restitutio, si de dolo agatur; quia actio doli personalis est, in rei vero sitæ loco, si ex causa justæ absentiæ, & vis metusve illati restitui quis desideret, quia actiones has vel reales, vel personales quidem, sed in rem scriptas esse constat: si hic, omnino restitutio in loco domicilii est petenda, ratio evidentissima est in l. 24. §. 5. D. de min. add. l. 13. §. 1. l. 1. §. 1. D. eod. Quod locum contractus, si ibi adversarius inveniatur, attinet, rectissime & ibi conveniri posse videtur, arg. l. 14. §. 4. C. de non num. pec. (quam quasi non obstantem suæ sententiaz, eam allegasse solummodo contentus Struv. silentio præterit) monstrante id Clar. Voetio in Compend. suo ad Dig. tit. de in int. restit. præceptore meo omni amore & veneratione prosequendo. Excipiuntur tamen ab iis quæ hactenus dicta sunt l. 9. §. ult. junct. l. 10. D. de min. & si contra sententiam, & tum coram judice qui eam tulit, vel ejus superiorum procul dubio restitutio petenda est. Vid. Sfort. Odd. p. 1. q. 32. a. 13. & p. 2. q. 69. a. 7.

IX. Restitui possunt ii qui læsi sunt justamque restitutionis causam habent, l. 1. 2. & 6. D. de in int. rest. add. l. 7. §. 1. D. eod. quin imo & eorum successores dictante id expressis verbis l. 6. D. de in int. rest. l. 3. §. 9. D. de min. licet ipsi minorum successores maiores sint, l. 18. §. ult. l. 19. D. d. t. l. 2. 4. & 5. C. de temp. in int. rest. &c. l. un. C. si adv. dor. tam universales quales sunt ex testamento, & ab intestato, (imo & hæredes hæredum, ut & etiamsi ipsi hæredi non possit competere hæc restitutio, qua tali, uti est in fidejussore, l. 95. §. 3. D. de solut. denique & cum læsio contigit in hæreditate jacente, nam adversus illud damnum etiam restituitur hæres, maxime si ex ignorantia Odd. p. 1. q. 50. a. 1. n. 13. 14. 15. & 16.) quam particulares, quo pacto cum ipsa re, ut jus cessum ad ejusmodi successores transibit restitutio arg. l. 24. pr. D. de min. ut & fiscus si succedat Odd. p. 1. q. 50. a. 4. n. 44. & 45. denique ex l. 10. pr. D. quemadm. serv. amit. & l. 4. §. 3. D. si serv. vind. affirmare ausim consortibus litis etiam competere restitutionem in integrum si res vel causa individua vel connexa sit. Ex eo quod de

de successoribus universalibus dictum est, sequitur pupillariter substitutos utpote pupillorum hæredes, quorum hæreditatem adire nequeunt nisi simul paternæ pupillorum hæreditati se immisceant, etiam gaudere beneficio restitutio*nis*, *Odd. p. 1. q. 50. a. 2. n. 29.* usque ad n. 34. excepto casu §. 4. *I. de pupil. substit.* De vulgariter substitutis si quæstio sit, nihil evidenter est quam eos non posse restitui si agatur de aliqua ipsius hæredis instituti, non autem si de ipsius testatoris læsione, ei enim sunt hæredes *Odd. pr. 1. q. 50. a. 2. n. 27.* De substitutis fideicommissariis idem dicendum quod de vulgaribus distinctionibus tamen iisdem adhibitis quas *Odd. p. 1. q. 50. a. 2. n. 36. 38. & 39.* Restituuntur hi læsi adversus eos a quibus læsi sunt, etiam adversus eorum, contra quos incepit competere, hæredes, imo & adversus singulares successores, & tam in restitutione majorum quam minorum, *Odd. p. 1. q. 31. a. 15.* dein adversus procuratores adversiorum, *l. 26. §. 1. D. de min. tertios possessores*, Vid. tamen *l. 13. pr. & §. 1. inf. D. de min.* *Odd. p. 1. q. 31. a. 17. n. 86. &c.* de patre, domino, & fidejussore sunt textus in *l. 24. §. 3. d. l. 13.* per totam *D. de min.* Petere non solum restitutionem possunt ii qui læsi sunt, per se, sed & per procuratores *l. 25. §. 1. D. de min.* quæ emphatice satis loquitur add. *l. 26. D. eod. tit. C. etiam per procurat. caus. in int. &c. DD.* tamen videtur sufficere generale mandatum casu quo incideret petitur restitutio *Treutl. Disp. 9. th. 2. lit. C.* & ad eum *Bachov.* per patrem etiam licet ipsi nolint liberi; agnatos, affines, modo eorum intersit *l. 27. D. eod.* alias non, per tutores etiam vel curatores, syndicos universitatum collegiorumve, modo non sint ut simplices procuratores, sed ut curatores, in summa per omnes eos qui alieni patrimonii administrationem habent.

X. Conceditur restitutio prævia justa & plena causæ cognitione dictante id *l. 3. D. de in int. restit.* Vid. tamen *Odd. p. 1. q. 34. a. 6.* debetque causa esse satis gravis, nam modica hic non curat. Prætor (quamvis alias hoc fiat, arg. §. 16. *I. de rer. div.*) quod licet improbatum per leges, toleratum tamen, Vid. *l. 9. inf. junct. l. 10. D. de dol. mal.* ergo rei minimæ non fit restitutio, si per hoc majori fieret præjudicium, *l. 4. D. de in int. rest. add. l. 16. §. 4. D. de*

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

*de min. junct. omnino l. 8. C. de rescind. vend.* inquiritur etiam an ipso jure quis tutus fit, aut aliud æque pingue ipsi competat remedium, de quo *Vid. qua sup. ad fin. §. 2.* etenim si pinguior sit restitutio in integrum, jam aliud ordinarium remedium eam nullo modo excludet, sed concurrent, *l. 14. §. 2. D. quod met. caus.* dein an non jam semel idem petierit, nec obtinuerit, siquidem in una eademque causa in integrum restitutio petita, eaque petitoris à Judice denegata, iterum frustra petitur, *l. 1. C. si sap. in int. rest. post.* aliter en. res in infinitum trahi posset, nec ullus litium daretur finis, non obstante *l. 7. §. 9. D. de min.* cuius solutionem *Vid. apud. Perez. Præl. in l. 2. C. tit. 44. n. 1.* si vero ex diversis causis rursus petatur restitutio, jam omnimodo iterum concedenda videtur, per *l. 2. & 3. C. si sap. in int. &c.* ab ea tamen sententia qua restitutio denegata est, recte appellatur *d. l. 1. C. in fin.* Inquiritur & an non obsit conditio illius contra quem quis restituti desiderat, contra parentem enim aut patronum procul omni dubio denegabitur restitutio, idque honoris & reverentiae parentibus patronisque debite ergo, *l. 2. C. qui & adv. quos in int. &c.* fallit hoc tamen in casu *Nov. 155. C. 1.* Illud addendum quod non desideretur plena causæ cognitio, si restitutio incidenter petatur, modo non incidat causa peremptorie ad totum negotium principale, de quo *Vid. Odd. p. 1. q. 34. art. 6. n. 35.*

XI. Inquirendum quoque venit an nonlapsum sit tempus restitutio petendæ præfinitum, quare & de eo quoque nonnullahic dicenda sunt. Tempus illud olim fuit anni utilis, (quis autem ille annus utilis quis continuus dicatur nunc non indagandum, *Vid. tamen l. 1. D. de div. temp. præser.*) excepta ab hoc fuit actio ex edicto *de capite minutis*, erat enim perpetua, uti adhuc dum perpetua est, *l. 2. §. 5. D. de cap. min.*) de jure veteri *Vid. omnino Frantz. ad tit. D. de in int. rest. n. 25. & 26.* jure novo Justiniani est quadriennii continui, *l. ult. C. de temp. in int. rest.* Currit hoc quadriennii tempus minoribus statim post annum 25. exactum, usque ad extremum diem anni 29. exceptio est in *l. 5. C. de temp. in int. rest.* Ecclesiæ aliquique ejusdem cum minoribus conditionis à tempore factæ læsionis, *Sfort. Odd. p. 1. q. 20. a. 3. n. 27.* majoribus autem Reip. causæ absen-

absentibus, aut militantibus statim ex die missionis vel ex quo Reip. causa non amplius absunt, nec hic ratio ignorantiae vel scientiae habetur, est enim hoc quadriennium continuum, dein etiam ne obstat *l. ult. C. de præsc. long. temp. cons. omnino Bachov. ad Trenil. V. 1. Disp. II. Thes. 3. l. A. junct. V. 1. D. II. Thes. 18. l. A.* & regulariter intra illud quadriennii tempus inchoanda & finienda lis est, *d. l. ult. & l. 6. C. de temp. in int. rest.* an autem si minori tempore quis læsus sit adhuc totum quadriennium petendæ restitutioni concedendum sit *Vid. Bachov. ad Trenil. V. 1. D. II. Tb. 3. l. B.* ego hæreo ob generalitatem *l. ult. C. de temp. in int. rest.* Currit hoc tempus & hæredibus, quod ut recte computetur hoc modo distinguendum est, aut enim minor minori, aut minor majori, aut major minori, aut major majori hæres existit; si primum jam minori hæredi, læso minori succedenti quadriennium ad restitutionem competit, sed demum incipiet currere ex quo minor hæres major factus erit *l. 5. §. 1. C. de temp. in int. rest.* si secundum tempora defuncti superflua incipient currere minori simulac ad legitimam pervenerit ætatem, *d. l. 5. §. 2. C.* si tertium statim ab adita hæreditate datur quadriennium hæredi ex defuncti persona *d. l. 5. §. ult. C.* si quartum jam hæredi succedenti residuum tempus quod defuncto competierat, concedetur, sed statim incipiet currere. Impetrata intra legitimum tempus restitutione, actio pristina redditæ iterum incipit posse exerceri, non tamen ea ultra durabit quam eo tempore quod ante existentem restitutionis causam supererat, *l. 26. §. 8. D. ex quib. caus. maj. definitio id hoc pacto Clar. Voetio Comp. suo ad tit. de in int. rest. §. 5.* Illud sciendum est tempus legitimum in causa doli esse solummodo biennii, *l. ult. C. de dolo quæ non est correcta per d. l. ult. C. de temp. in int. rest.* eo quod admodum famosa & odiosa hæc actio sit. De effectibus impetratae restitutionis cum antecedentibus subinde inserti sint, non ulterius dicturus sum, illud solummodo monendum est postulata in integrum restitutione nihil innovandum aut executioni dandum esse, *l. un. C. in int. rest. post. ne quid nov. si. siquidem ea sit restitutionis vis ut negotii plicujus vires suspendat, l. 32. C. de transact. Vid. & Sfort. Odd. p. 1.*

10 DISPUTATIO JURIDICA

q. 42. fere per tot. nisi protinus appareat morandæ tantum solutionis gratia eam peti, quo nihil æquius nihil evidentius est, ut autem nihil innovetur curabit is ad cujus partes ea res pertinet.

XII. Causæ restitutionis justæ vel certæ sunt, vel incertæ, hæ sub generali clausula, quæ est in *I. i. in f. D. ex quib. caus. maj.* continentur; illæ sunt *Metus, Dolus, Minor Aetas, Capitis Diminutio, Restitutio que majoribus conceditur data actione rescissoria, Alienatio judicij mutandi causa, & Justus error de quarum singulis nunc videndum erit.*

C A P U T II.

I. PRIMA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM CAUSA EST *Metus*, DEFINITUR.

*P*que quod sit instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio *I. i. D. quod met. caus.* olim in edicto Prætoris vocabulum vis additum fuit, *d. I. i. D. cod.* & adhuc in *Cod.* exstat, ejus autem mentio detracta est ideo, quia quodcumque vi atroci fit, id metu quoque fieri videatur, *d. I. i. cod.* non tamen desit si quis vi compulsus aliquid fecit per hoc edictum fieri restitutio; ut autem sciamus quid sit *vis*, non male & ejus hic dederimus definitionem, est itaque *majoris rei impetus qui repellere non potest* *I. 2. D. quod met. caus.* Hisce præmissis sciendum est metum non ponere actum irritum, *I. 21. §. 5. D. d. tit.* sed id quod metu gestum est valere, usque dum rescindatur, siquidem qualis qualis consensus adhibetur, qui sufficit, licet quodammodo extortus; dein patet hoc ex ipsis edicti verbis, quæ tempore futuro proferuntur, ut per consequens contractus ab initio substiterit, *Vid. omnino Zoes. ad tit. Dig. quod met. caus.*, *n. 3. &c.* facit etiam *§. 1. I. de except.* hoc tamen verum est si id quod gestum est sit stricti juris, non autem si bona fidei, quod evidentissimum est ex *I. 116. D. de R. f.* & quod magis est hæc lex cum *I. i. D. quod met. caus.* eundem habent auctorem. *Metus* verbo in Edicto Prætoris non intelligitur quilibet timor, sed majoris malitatis, uti est in *I. 5. D. quod met. caus.* nec vani timoris, sed qui merito in constantissimum hominem cadat, afferente id expressis verbis *I. 6. D. cod.* Unde *Martialis.*

*Quid.*

I N A U G U R A L I S. II

*Quid si me tonsor cum stricta novacula supra est,*

*Tunc libertatem divitiasque roget?*

*Promittam; nec enim rogat illo tempore tonsor,*

*Latro rogat: res est imperiosa timor.*

*Sed fuerit curva cum iuta novacula theca,*

*Frangam tonsori crura caputque simul.*

Talis varie incutitur, Vid. l. 3. 4. 7. §. 1. l. 8. D. cod. &c. l. 7. C. de his que vi met. caus. l. 13. C. de transact. l. 3. D. de exiraord. cogn. junct. l. 9. C. de prof. & med. & quæ sunt plura talia loca, cons. omnino Coll. Jurid. Argent. ad tit. D. quod met. caus. est hic tamen discrimen faciendum inter virum & scemnam idque ob sexus fragilitatem arg. l. 3. D. ex quib. caus. maj. Metus vero reverentialis non sufficit, is enim vim non includit, Vid. l. 22. D. de rit. nupt. add. l. 26. §. 1. D. de pignor. & hypoth. modo non alia violentia accedat incussio; uti nec timor potentia dignitatissime, nisi tamen quis sua potentia aut dignitate abusus sit, l. 6. C. de his que vi met. nec accusationis, l. 10. C. cod. nec minarum nisi quis eas execui sit solitus, l. 7. l. 9. C. cod. nec sola mali suspicio, l. 9. D. quod met. caus. quod tamen limitandum aliquo modo per d. l. 9. inf. pr. huc pertinet & metus infamiae, l. 7. D. cod. privatus enim infamiam irrogare nequit; ad vanum metum etiam referendum id quod dicatur in l. 8. C. de his que vi met. &c. Requiritur etiam ut metus injuste per injuriam sit incussus; nihil autem interest utrum quis in sua persona, an in uxore, liberis, &c. metum passus sit, l. 8. §. 3. D. quod met. caus. etiam utrum quis versans in re licita, an illicita, Prætor enim nihil aliud considerat quam an metus sit illatus l. 7. §. 1. l. 8. D. cod. Evenit tamen aliquando ut licet hæc metus requisita adsint, tamen negotium metu gestum sit ipso jure nullum, ne si subsistat favore suo restitutionem rescinderet, uti videre est apud Zoes. ad tit. D. quod met. caus. n. 24. &c. & Clar. Voet. Compend. suo ad dict. tit. §. 6.

II. Negotio hoc modo metu gesto, necessarium est ut detur exceptio aut actio illi, qui metu inductus obligavit se, aut actionem remisit, ut scili. illa adversus petentes defendatur, hac quod gestum est in integrum officio Judicis restitui petat, l. 9. §. 3. D.

B 2 quod.

## 12 DISPUTATIO JURIDICA

quod met. caus. estque præatoria arbitraria l. 14. §. 4. D. eod. add.  
Bach. ad Treutl. V. 1. Disp. II. Th. 5. l. A. C. & E. Vid. & l. 12.  
l. 1. C. de his que vi met. personalis in rem scripta, loquitur enim  
edictum indifferenter in rem, l. 9. §. 1. D. quod met. causa, er-  
go competit ei qui metu illato damnum passus est, dum scil.  
quid dedit, promisit, aut omisit quod ipsi nocet, ejusque hæ-  
redibus l. 14. §. 2. inf. D. eod. non modo contra eos qui metum  
intulerunt, sive unum, sive plures, quamvis unius solutione  
cæteri liberentur l. 14. §. ult. l. 15. & 16. §. 1. D. quod. met.  
caus. sed & contra quosvis rei per metum amissæ possessores, sive  
bonæ, sive malæ fidei sint, l. 9. §. 8. D. eod. add. tamen l. 3. C. b. r.  
satis enim est docere metum sibi esse illatum, & ex eo illos qui  
conveniuntur et si criminè careant lucrum perceperisse, l. 14. §. 3.  
D. eod. ut & hæredes quatenus ad eos pervenit, licet enim pena  
ad hæredes transitoria non sit, non tamen quod turpiter & sce-  
lere quæsum est ad alicujus, nedum hæredis compendium per-  
tinere debet l. 16. §. ult. D. quod. met. caus. & catus hæc actio  
est perpetua, quia tum non est penal is l. 19. D. eod. quantum  
autem ad hæredes pervenerit spectandum venit tempore litis con-  
testatæ, datur & contra hæredum hæredes licet nihil ad eos per-  
venerit, sufficit enim ad primos hæredes quid pervenisse, ut id  
ex l. 17. D. quod. met. caus. evidentissimum est; de naturali tamen  
rei interitu, & casu non videntur hæredes, ut nec hæredum  
hæredes teneri, per l. 18. pr. D. eod. Vid. & l. 14. §. 11. D. eod. add.  
Struv. ad d. tit. n. 21. Est & hæc actio penal is ex contumacia,  
& tendit in quadruplum, imo & ad fructus & omnem causam  
quadruplicatam, l. 14. §. 1. & 7. D. quod. met. caus. add. d. l. 14. §.  
14. adhibita tamen inter bonæ & malæ fidei possessores differentia,  
l. 48. D. de acquir. rer. dom. l. 62. D. de rei vind. Competit hæc actio  
intra annum utilem jure novo intra quadriennium continuum,  
per l. ult. C. de temp. in int. ref. Illud hic notandum, si nihil ab-  
sit cessare etiam hoc edictum, quod metus causa, l. 12. §. ult. l.  
14. pr. D. quod met. caus. Cessat & hæc actio propter novum con-  
sensum ejus qui metum passus est, exempla sunt in l. 2. & 4. C.  
de his que vi met. caus. ex eo enim metus excluditur. Sunt & alia  
remem-

remedia quæ vim passo dantur de quibus *Vid. Wesemb. ad tit. D.*  
*quod met. causa, n. 9. & Coll. Argentor. add. tit. a. n. 36. ad fin.*

## C A P U T III.

I. **S**equitur secunda restitutionis species ex causa *Doli Mali*, ubi  
 antequam ad doli definitionem & rem ipsam perveniamus,  
 sciendum est dolum vel bonum esse, vel malum, illius exempla  
 sunt in *I. 1. §. 3. D. de dol. mal. I. 16. §. 4. D. de min.* ut & *Genes.*  
*27. v. 21. & 30. v. 37.* etiam est simulatio cum quis simulat se  
 pauperem, ne ingens lutrum hostibus aut latronibus ad sui re-  
 demptionem persolvere cogatur, simile exemplum nobis præbet.  
*Lucret. l. 4.*

*Ut puerorum etas improvida ludiscetur  
 Laborum tenuis, interea perpotet amarum  
 Absynthi laticem, deceptaque non capiatur.*

Dolus hic bonus in jure nostro vel probatus est, vel toleratus.  
 Est & dolus vel ex redditante nobis id *I. 36. D. de V. O.* vel ex pro-  
 posito, in quo adest animus lædandi, alias quoque generalis do-  
 lus est, atque ita metui semper dolus inest. *I. 2. §. 8. D. de vi boni*  
*rapt.* alias speciæls definiturque à *Labeone* *I. 1. §. 2. D. de dol. mal.*  
*omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallen-*  
*dum, decipiendum alterum exhibita, quam & Ulpian.* illius legis  
 autor probat. Fuerunt qui definitionem hanc tautologiæ insimu-  
 lavere, sed meo quidem judicio sine justo fundamento, cum  
*Itus* hic emphatice satis loquatur, & quasi *aliquando* procedat,  
*calliditas* enim est cum quis sciens prudens errantem in er-  
 rore relinquit, nec monet, ac ea dissimulat quæ tanquam vir  
 bonus exprimere debuisset; *fallacia* dicitur si quis falso quid af-  
 ferat quod non ita se habet, *machinatio* denique quoties præme-  
 ditato consilio plures conspirant ad aliquem decipiendum. O-  
 lim dolus non vindicabatur nisi minor 25. annis esset cir-  
 cumscriptus ex lege Lætoria, aut in tutelâ ex *Leg. 12. tabb.*  
 aut denique in bonæ fidei judiciis; sed hoc à *Gallo Aqui-*  
*lio* celeberrimo illo formularum inventore mutatum, ita ut

## 14 DISPUTATIO JURIDICA

nunc in aliis quoque judiciis dolus emendetur; ergo in contractibus stricti juris si dolus iis causam dederit, vel in eos inciderit, nulli quod sciām interpretum dubium est quin subsistat quod gestum est donec rescindatur, l. 36. pr. D. de V. O. l. 5. C. de inutil stipul. Vid. Zoef. ad tit. D. de dolo mal. n. 13. & 14. dicitur autem dolus dare causam contractui si quis fraudibus ab alio inducetur ut negotium celebret, quod ceteroquin facturus non esset, l. 7. pr. V. si in hoc ipso D. de dolo mal. incidere vero dolus in contractum dicitur ubi quis nihilominus quidem erat contracturus, sed in modo contrahendi, veluti pretio, vel aliter deceptus est. d. l. 7. D. eod. l. 18. §. 3. D. commod. l. 13. pr. D. de act. empt. & vend. De contractibus vero bonae fidei latissimè disputatur, ego sic statuo, nec actionem nec exceptionem doli mali dari sive dolus in contractum bonae fidei incidat, sive ei causam det, id enim consequens est clausula isti ex bona fide quæ talibus judiciis additur, & exinde probatur quod sive deceptus conveniatur sive conveniat decipientem competit saltem exceptio ex eo dolo, quæ inest judiciis bonae fidei, & continetur ipsa actione & officio judicis l. 21. D. solut. matrim. l. 84. §. 5. D. de leg. 1. hinc jam potestate ipsa juris civilis nullus est ille contractus, non enim opus est ut ea exceptio impetretur à Prætore, sed potest simpliciter dolus apud judicem allegari, cujus ille rationem habere debet. Vid. l. 16. §. 1. D. de minor. & l. 3. §. 3. D. pro soc. Si autem deceptus velit potius stari contractui, jam non erit ipso jure nullus, non enim cogitur uti jure pro se introducto; potest autem tum agere ex eo contractu dupliciter, vel ut ei stetur, vel ut rescindatur l. 13. §. 27. D. de act. emp. & vend. l. 11. §. 5. D. eod. hæc autem actio non est tum directa & vera, sed utilis, quia propter dolum intervenientem contractus is nullus est. Vid. l. 5. C. de resc. vend. Zoef. in enodanda hac quæstione admodum hallucinatur, nec se expedit. Vid. cum ad tit. D. de dol. mol. Si dolus sit causatus per tertium, non vero per alterutrum contrahentium, sustinetur & dabitur actio in eum qui dolum fecit, per l. 2. in fin. D. de proxenet. l. 7. D. de dol. mal. si autem ille solvendo non fit,

fit, succurrendum erit decepto hactenus ut inæqualitas quæ in contractu est dematur.

II. Nunc ad actionem quam Prætor de dolo malo *l. 1. §. 1.* *D. de dol. mal.* pollicitus est, deveniamus, est hæc præatoria personalis arbitraria *l. 15. §. 3. l. 18.* *D. de dol. mal.* quæ lex bene consideranda est, *§. 31. f. de Act.* (non tamen semper in hac actione locum habet judicis arbitrium, exemplum est in *d. l. 18. §. 1. add. §. 4.*) competens causa cognita, debet enim dolus probari, *l. 6. C. de dol. l. 16. D. eod. l. 18. §. 1. D. probat.* ob læsionem non modicam duos ad minimum aureos excedentem *l. 9. §. ult. l. 10. D. de dol. mal.* *Vid. omnino Coll. Argentorat.* à *n. 8. ad n. 37.* læsis & eorum hæredibus *l. 13. D. eod.* contra eos qui dolum fecere, & hæredes eorum quatenus ad eos pervenit, *l. 17. §. 1. D. de dol. mal. l. 26. & 27. D. eod.* etiam adversus pupillos modo pubertati proximi sint, *l. 13. §. 1. in ff. D. eod.* non contra tertios possessores *arg. l. 15. §. 3. D. eod.* ut nec contra municipes *l. 15. §. 1. D. eod.* si tamen ex dolo decurionum aliquid ad eos pervenerit, quatenus ad eos pervenit, eatenus contra eos dabitur hæc actio. Imo hoc generaliter asseri potest quod quoties quis alieno nomine quid egit, is pro quo egit teneatur ad id quod ad ipsum ex illius qui gessit dolo pervenit *d. l. 15. p.* *§. 1. & 2. D. eod.* Illud observandum si quis ita de dolo non proprio conveniatur eum non subiturum infamiae notam, quia ex alieno delicto puniri nequit *l. 29. D. eod. add. l. 30.* Non etiam datur hæc actio liberis adversus parentes, libertis adversus patronos, uti nec humili adversus eum qui dignitate excellit, nec etiam luxurioso atque prodigo, aut alias vili, adversus hominem vitæ emendationis, sed potius in horum persona in factum verbis temperanda actio datur, ut bona fidei mentio fiat asserente id iisdem verbis *l. 11. D. de dol. mal.* hæredibus tamen harum personarum item adversus hæredes de dolo actio erit danda, *l. 13. D. eod.* si tamen proprius hæredum dolus intervenerit. *Vid. l. 4. §. 16. D. de dol. mal. & met. except.* Et quidem competit hæc actio intra biennium continuum, *l. ult. C. de dol. Add. que sup. C. 1. §. 11. in ff.* quo tempore etiam finienda est, idque à tem-

16. DISPUTATIO JURIDICA

tempore doli commissi , exceptio tamen est in *I. 3. C. eod.* actio tamen in factum in quantum quis ex dolo consequitur perpetuo datur contra dolosum & hæredes *I. 28. D. dol. mal.* ubi ratio ad- ditur. Est hæc actio famosa , & hinc est quod non datur nisi ex magna & evidenti calliditate *I. 7. §. ult. D. de dol. mal.* *Vid. Coll. Argentor. ad tit. de dol. à n. 40. ad n. 45.* Est subsidiaria, ergo datur tantum alia deficiente , & cessabit qualiscumque demum ea sit. *I. 1. §. 6. I. 7. §. 1. & 2. D. eod.* & sexcenta alia loca. Si ta- men dubitetur an alia dari possit , nec ne , non denegabitur. *I. 7. §. 3. D. de dol. mal.* cum quibus autem actionibus actio doli con- currat , aut non concurrat. *Vid. Coll. Argentor. ad tit. D. de dol. mal. à n. 74. ad fin.* Ad quid hæc actio tendat , jam inter alia vidimus. Illud addendum , dolum cum dolo hic compensari , quia hic tantum de privato interesse agitur, *I. 36. D. de dol. mal.* nec dabitur uni adversus alterum actio dolii. Hoc denique sciendum exceptionem dolii esse perpetuam *I. 6. C. de except. I. 5. §. 6. D. de dol. mal. & met. except.*

C A P U T . I V .

I. **N**unc de tertia Restitutionis specie eâ scil. quæ ob inconsul- tam ætatis facilitatem lapsis , vel deceptis , id est Minoribus , horumque jure utentibus conceditur , agamus , circa quam ante omnia observandum non ita facile hoc in casu solere Restitutio- nem fieri , ac in Metu & Dolo , utope cum Prætor hoc non ita simpliciter suo edicto hic promiserit , ait enim *quod cum Minore quam 25 annis natu gestum esse dicetur: utiqueque res erit , animad- vertum.* *I. 1. §. 1. D. de min.* Minor hic dicitur is qui nondum an- num 25 complevit , licet ultimum ejus anni diem attigerit *I. 3. §. 3. D. de min.* *Vid. tamen I. 5. D. qui test. fac. poss. I. 8. D. de min. & honor.* ergo si inter sit minoris ut pro minore habeatur , tempus de momento in momentum spectabitur , nec nisi post elapsum ultimum diem fiet majoren sis , exemplum habemus evidens in die bis sextili , si vero contra , jam ultimus dies cæptus pro completo habebitur , imo & aliquando annus. Qualis autem minor

minor sit, paterfamilias an filiusfamilias masculus an fæmina nihil interest, l. 3. §. 4. D. de min. servi tamen minores non restituuntur, quoniam domini cui acquirunt persona inspicitur d. l. 3. §. ult. hinc minoribus, alieno, ut procuratorio, institutorio nomine negotiantibus, non subvenitur l. 23. D. eod. De JCTo minore dubium est, sed & is restituitur si læsus sit in iis quæ facti non vero si in iis quæ juris sunt. arg. l. 2. §. 43. D. de Or. Jur. Vid. Zoes. ad tit. D. de min. n. 20. In causæ cognitione duo hic sunt probanda, videlicet minor ætas, & læsio, illius probatio ei incumbit qui se minorem afferit, & per consequens restitui postulat, l. 4. C. de inint. rest. min. l. 9. C. de probat. fit autem hæc probatio vel ex aspetto, l. 32. D. de min. l. 3. C. si min. se maj. dix. vel testibus, puta obstetricibus, mulieribus quæ parturienti matri adfuerunt, consanguineis, vicinis, propinquis, qui facta consanguinei aut vicini nosse præsumuntur, libris etiam baptismatis, scriptura nativitatis, l. 2. §. 1. D. de excus. Parentum depositio, propter ~~soylo~~ & arctissimum illud necessitudinis vinculum, eo tempore, quo de restitutione agitur, facta, non admittitur. Vid. l. 6. C. de testib. & l. 9. D. eod. Valet tamen eorum professio quam tempore nativitatis cum nulla fraudis subfasset suspicio, edunt; l. 16. D. de probat. Add. l. 1. C. si min. se maj. dix. Læsionis probatio etiam necessaria est, sive ea dolo adversarii facta sit, sive non l. 5. C. de inint. rest. min. l. 8. C. eod. fitque ea itidem ab ipso minore, qualis autem debeat esse læsio. Vid. que sup. C. 1. §. 10. in pr. eritque læsio æstimanda ex eo tempore quo minor contraxit, non ex eo quo petit se restitui, audiendus porro erit adversarius probare paratus minorem vel locupletiorem factum, vel non ita graviter læsum, ut illi concedi debeat restitutio. Quandoque læsio sine probatione ex circumstantiis præsumitur, arg. l. 1. & 2. C. si adv. credit. quod ut recte intelligatur, sciendum, esse negotia quæ sua natura damnum inferre solent, esse quæ non solent, in illis præsumetur damnum & læsio adfuisse, videlicet in fidejussione, expromissione, promissione stipulanti per minorem facta, mutui datione, donatione; ex his autem non datur restitutio nisi minor læsionem suam manifeste probaverit tales sunt

## 18 DISPUTATIO JURIDICA

sunt emptio venditio, locatio conductio, hæreditatis aditio, &c. In causæ cognitionem etiam veniet num forte alia actio contrac-  
tum reddens nullum competat arg. l. 3. C. de in int. rest. min.  
l. 16. pr. & §. 3. D. de min.

II. Hisce hoc modo probatis restituitur minor & quidem vel  
adversus negotia extrajudicialia, vel adversus judicialia, de illis  
primo videbimus; restituitur ergo minor adversus venditionem  
vel emptionem a se factam, imo licet facta sit à tutori vel cura-  
tore, modo evidens ipsius malitia monstrari possit. l. ult. C. si  
adv. vendit. pign. ratione evidentissimâ; idem dicendum de pi-  
gnore Prætorio, vel ex causa judicati capto, l. 1. C. de præd. min.  
&c. l. 9. l. 28. D. de minor. non tamen restituitur minor casu l. 2.  
D. eod. ratio est in l. 177. D. de R. f. in donatione etiam obtinet  
ut minor adversus eam restituatur, Vid. l. 2. C. si adv. donat. &  
recte, cum facile minor ultra modum liberalis existat; pertinet  
ad hanc etiam liquidi juris remissio, dum filia modico contenta  
in fratum gratiam paternæ hæreditati renuntiat; non tamen  
conceditur restitutio in casu l. 1. C. si adv. donat. ut nec si justa  
honoraria præceptoribus data sint, aut munera solita parentibus  
cognatis pro natalium dignitate, & patrimonii viribus missa,  
l. 12. §. 3. D. de admin. & peric. tut. idem dicendum si facta sit  
donatio pīx causæ, hic enim actus laudabiliter est gestus à minori  
, Vid. Odd. p. 2. q. 57. a. 3. Restituitur & minor adversus do-  
tem sibi datam, eo prætextu, quod si suæ nobilitatis vel divitiae  
ratio habeatur nimis modica sit, vel exactio nimis difficilis  
&c. Vid Sfort. Odd. p. 2. q. 59. a. 2. & 5. ut & mulier minor si  
omnia sua bona vel totum patrimonium simpliciter in dotem  
dedit, vel dotem promisit ipsum patrimonium excedentem, vel  
res dotaes minoris aestimavit, &c. per l. 9. §. 1. l. 48. §. 2. D.  
de min. Odd. dict. loc. a. 3. transitque hoc jus restitutionis in hæ-  
redes l. un. C. si adv. dot. extendenda etiam videtur restitutio ex  
hoc capite ad donationes propter nuptias & sponsalitias largitates  
Sfort. Odd. dict. loc. a. 6. Solutionis etiam à se factæ causa minor  
restitutionem petere potest, sed observandum imprimis, posse  
vel ipsum minorem solvere, vel ei solvi; si primū, jam si minor  
errore

errore juris ex minus solenni testamento legatum indebite solvit, adversus eam solutionem recte restituetur, uti textus apertus est in l. 2. C. si adv. solut. &c. add. l. 9. D. de jur. & fact. ignor. ubi regula & exceptio traduntur, sunt & casus in l. 40. pr. & §. 1. l. 27. §. 2. & 3. D. de min. l. 7. C. de in int. restit. min. cæterum quid obtineat si minor indebitum solverit, circa cuius solutionem varii casus possunt concipi, consulendus omnino *Sfort.* *Odd.* p. 2. q. 52. ab. a. 4. ad fin. si secundum, verissimum est eum posse restituiri, si ex hac solutione læsionem suam probare valeat, præeunte nobis l. 7. §. 2. D. de min. non enim simpliciter sed ex decreto Judicis minori facienda est solutio, l. 25. l. 27. C. de adm. tut. quod quod si non accesserit, jam sibi impudent debitores, si minor pecunia hac inutiliter consumptâ adversus eos restituatur, & ita de novo eos conveniat, hinc tutor si ex administratione tutelæ ipsi minori vel ejus curatori solverit, hoc sibi timendum habet minorum aliquando restitutum iri, l. 1. C. si adv. solut. Si autem adhibitum sit decretum, quid eveniat *Vid.* l. 32. D. de min. add. §. 2. V. at ex contrario f. quib. al. lic. vel non. Minor si transigerit vel divisionem cum Domino aut cohærede fecerit, licet tuteore vel curatore autore, restituitur, ita quidem ut omnia tam à suâ quam ab adversarii parte in pristinum reducantur statum, restitutis utrique pristinis actionibus tot. tit. C. si adv. transalt. vel divisi. in int. &c. & si perempta sit actio acceptilatione &c., utilis adversario præstatur; hæc autem vera sunt in cohærentibus speciebus & judiciis, non separatis, exemplum elegans est in l. 28. D. de min. Adversus mutuum quoque rescissâ cautione restituitur minor, tit. C. si adv. cred. ut sive ipse conveniatur, non possit cogi ad id ut solvat, sive non conveniatur possit ultro cautionem condicere, ut ab obligatione liberetur, modo pecunia credita inutiliter consumpta sit l. 27. §. 2. D. de min. unde varia colliguntur, non autem si in rem ejus versa sit; ejusque probatio incumbit creditori non solum si sub usuris mutuo data sit, sed & si simpliciter l. 32. §. 9. D. de adm. tut. add. l. 11. D. de V. S. & l. 2. D. de probat. Dissentit. *Odd.* p. 2. q. 51. a. 5. An vero restituantur minor si mutuum patris accepit *Vid. Odd. dict. loc. a. 6.* & videtur

## 20 DISPUTATIO JURIDICA

detur negandum ob. l. 2. §. 4. *V. si igitur fil. D. de minor.* De usur-  
cione autem contra eam minor restituatur, breviter sic dico, cum  
olim res minoris usucapi potuerint etiam eum restitui potuisse  
*l. un. C. si adv. usucap.* hodie autem cum omnes temporales præ-  
scriptiones vel usucaciones contra minores non currant, *l. ult. C.*  
*in quib. caus. in int. rest. &c.* hanc disputationem esse supervacuam,  
nisi forte sint longissimi temporis præscriptiones in pubere *l. 3. V.*  
*sed pupillari. l. 7. C. de prescr. 30. vel 40. ann.* plura quiscire desi-  
derat, adeat *Sfort. Odd. p. 2. q. 88. 89. & 90.* hanc materiam la-  
tissime pertractantem. Adversus confessionem debiti, ut & licita-  
tionem salva quoque est minoribus restitutio; adversus hanc,  
dum auctione publicâ licitando victus est, & nihilominus minoris  
intersit rem in quâ victus est, habere, *l. 35. D. de min.* veluti  
si à majoribus ejus sit profecta, & ideo in eam cadat peculiaris  
affectione, ea tamen conditione ut id quod ex licitatione accessit,  
ipso venditori offerat; de confessione debiti est textus in *l. 6. §. 5.*  
*D. de confess.* simili modo accidit ut adversus inficiationem de-  
biti in illis scilicet causis in quibus inficiando lis crescit in duplum  
minor restituatur, afferente id *l. 9. §. 2. in medio D. de minor.*  
Denique adversus hæreditates aditas etiam minori conceditur re-  
stitutio, si enim is damnosam paternam vel alterius extranei hæ-  
reditatem adivit, vel se paternæ hæreditati immiscuit, aut pro  
hærede se gessit, aut bonorum possessionem agnovit, recte pe-  
ter restitucionem, *l. 1. l. 2. C. si min. ab her. se abst. l. 1. C. si tut.*  
*vel cur. interv. l. 3. §. 2. l. 7. §. 5. D. demin.* quin imo *add. l. 8.*  
*§. 6. C. de bonis quæ lib.* ut autem hæc restitutio recte fiat, omni-  
no desideratur ut forma ab Imperatore Nov. 119. *C. 6.* proposita  
servetur, scil. ut vocentur creditores, & ii quorum interest, ne  
inauditi & neglecti lèdantur. *Vid. Amb. si omnes C. si min. ab her.*  
*se abst. in.* quod si contigerit unum ex creditoribus non esse vo-  
catum, rata quidem erit sententia, sed tamen absque illius non  
vocati præjudicio. Restituto ita minore adversus adiram hæredi-  
tatem refundere cogitur omnia quæ ex hæreditate percepit, & ex  
quibus factus est locupletior, *l. 7. §. 5. D. de min. l. un. C. dere-*  
*put. quæ fiunt in judic. &c.* non tamen ea quæ à minore antequam

contra

contra aditionem restitueretur bona fide gesta sunt , l. 6. §. 1.  
 & 2. D. de reb. auctor. jud. possid. vel vend. & eo spectant l. 22. & 31.  
 D. de min. l. 44. D. de acquir. vel om. hær. Quæritur autem an  
 minor, si major factus exigat aliquid à creditoribus hæreditariis  
 restitui possit, nec ne, de qua quæst. Vid. omnino Odd. p. 2. q. 57.  
 art. 4. Eodem modo & adversus omissas hæreditates restituendus  
 erit minor, si videlicet ab hæreditate sibi delata se abstinerit,  
 vel repudiaverit, bonorum possessionem non petierit, &c. l. 1.  
 & 2. C. si ut om. hæred. vel bonor. possess. l. 24. §. 2. l. 3. §. 7. l. 7.  
 §. 6. & 7. D. de min. est & elegans casus in l. 3. §. 8. D. eod. quin  
 imo si quis contra aditionem restitutus semel sit, non tamen rur-  
 sum deneganda ei est restitutio adversus omissionem, dictante id  
 manifestis verbis & satis emphaticè l. 7. §. 9. D. de min. cui directis  
 verbis obstat l. ult. §. 6. C. de bon. quæ liber. sed dicendum hunc  
 casum esse specialem, & per consequens excipiendum, nec scil.  
 temere filius contra patris factum veniat. Clar. Voetius Comp. suo  
 ad tit. D. de minor. §. 3. Illud tamen observandum restitucionem  
 in integrum adversus omissionem hæreditatis non concedi, nisi  
 re integrâ, id est rebus hæreditariis per substitutum aut proximum  
 hæredem nondum distractis, per l. 24. §. 2. D. de min. parcus  
 ergo hic adversus hæreditatis omissionem restituitur minor, nisi  
 tamen sit suus hæres, tum enim favore suitatis receptum est ut  
 licet re non integrâ adversus hæreditatis paternæ omissionem re-  
 stituatur, idque hac ratione quod sit ipso jure hæres etiam post-  
 quam se abstinuit, & de hoc casu accipienda sunt verba Impera-  
 toris in l. ult. C. de repud. hæredit. dissentit hic Odd. p. 2. q. 63. a. 2.  
 An vero minor adversus ea quæ jacente hæreditate per bonorum  
 curatorem gesta sunt restitui possit Vid. Odd. p. 1. q. 62. a. 1. Il-  
 lud notandum minorem adversus hæreditatis omissionem restitu-  
 tum, bona quæ tempore mortis patris sui habuit perinde fratri-  
 bus suis conferre debere, ac si statim cum illis paternam hæredi-  
 tam adivisset l. 2. C. si ut omiss. hæredit. &c. l. 1. §. 2. D. de  
 collat.

III. Nunc de negotiis Judicialibus agendum, siquidem & ad-  
 versus hæc veniat restituendus minor, de his (uti & de omnibus

## 22 DISPUTATIO JURIDICA

fere de quibus superiori *so dictum*) est *tit.* C. si *advers. rem judic*  
*restit. postul.* restituitur ergo minor contra talem sententiam qua  
 quidem reus in ejus favorem est condemnatus, sed in minus quam  
 æquum erat, cuius exemplum habemus in *L. 1. C. d. t.* ut & con-  
 tra sententiam, de status quæstione minori à patre motâ, in mi-  
 noris præjudicium *L. 2.* C. eod. adversus sententiam quoque non  
 inferioris solum, sed & superioris Judicis, imo & ipsius Princi-  
 pis *L. 3.* C. eod. quamvis hoc peraro fieri soleat, *L. 18. §. 1. D. de min.*  
 minor autem magistratus contra sententiam majoris non restituet  
*d. L. 18. in pr. Vid. que sup. sub fin. §. 7.* C. 1. debet tamen sententia  
 esse ipso jure valida, veluti si minor legitime sit defensus, *L. 4.*  
 C. eod. nec interest utrum adversus totam sententiam restituatur  
 minor, an adversus partem ejus, *L. 29. §. 1. D. de min.* modo ca-  
 put illud sententiae ex quo minor in integrum restitui desiderat,  
 cæteris capitibus non cohæreat *arg. L. 27. & 41. D. famil. eroijc.*  
 restituitur & minor si in ejus causa adversus tutorem vel curato-  
 rem lata sit sententia, idque in minoris præjudicium *L. ult.* C. si  
*adv. rem judic.* nec solum contra sententiam, sed & in ipso ju-  
 dicio minori succurritur, *L. 7. §. 4. D. de min.* ergo si probationes  
 omiserit, *L. 36. D. de min.* si appellare neglexerit litemve contestaram  
 deseruerit *L. 7. §. 11. & 12. D. de min.* si actioni palam vel tacite renun-  
 tiaverit, *L. 1. C. de in int. rest. min.* quod limita ex *L. 37. D. de min.* si  
 quasi contumax condemnatus sit, *L. 8. D. de min.* siminor in judicem  
 compromiserit, & tutore auctore peccatum sit stipulatus *L. 14. §. 1. D. de min.*  
 Denique restituitur minor contra executionem rei ju-  
 dicatæ & capta pignora *L. 9. pr. D. de min.* in genere itaque resti-  
 tuitur minor contra omnes actus validos & de jure subsistentes  
 tam judiciales quam extrajudiciales, modo minori damnum &  
 præjudicium afferant, de quibus omnibus latissime differentem  
*Vid. Sfort. Odd. p. 2. à q. 52. ad q. 80.* ad quem Lectorem candidum  
 unicè remittimus, ut & Colleg. Argentor. ad tit. *D. de min. n. 56.*  
 siquidem instituti nostri non sit ea omnia sigillatim exsequi, sed  
 præcipua solum nobis attigisse sufficiat.

IV. Restituitur etiam minor contra fiscum *L. 1. & 2. C. si ad-*  
*vers. fiscum,* etenim hic jure communi utitur, hinc si cum admi-  
 ni-

nistratore fisci contraxerit, & læsus sit, si præcipitanter & vili  
nimis pretio res minoris ab eo venditæ sint, nec subhastitutionis so-  
lennitates ritè observatæ, l. 3. C. dict. tit. restitutioñis auxilio ei  
succurritur, nisi tamen res minoris ob debitum fiscale bona fide  
sint distractæ.

V. Dubitatur autem si curatoris vel tutoris autoritas accesserit,  
an non hoc casu minoribus deneganda sit restitutio, & placet non  
esse denegandam l. 2. & 3. C. si tut. vel cur. intervener. licet perso-  
nali actione jus suum aduersus tutorem vel curatorem possint con-  
sequi, nec refert quo pacto cum illis sive eorum nomine in judi-  
cio vel extra judicium ante vel post sententiam actum gestumve  
sit. d. l. 2. C. juncta l. 7. D. de min. modo se circumventos, vel  
lapsos, vel læsos probare possint, l. 8. C. de in int. restit. min. l. 44.  
D. de minor. non enim personæ quæ intervenerunt, sed sola læsio  
consideratur, Vid. l. 29. in pr. & l. 47. D. de minor. Quin imo non  
est deneganda minori restitutio licet decretum Magistratus sit in-  
terpositum, l. 11. C. de prad. & al. reb. min. &c. (excepto si ipsi  
minori ex judicis decreto solvatur, uti est in §o. ult. Inst. quib.  
alien. lic. vel non, & eo pertinet l. 7. §. 2. D. de min. Vid. que sup.  
§o. 2. C. hujus 4ti.) idque justissima ratione, decretum enim Ma-  
gistratus non excludit læsionem, siquidem in alienandis pupilli  
vel minoris bonis id solummodo inquiritur an justa subsit causa  
facienda distractionis, quæ tamen non impedit quo minus minor  
in pretio circumveniri vel aliter lædi posset.

VI. Non opus est minoribus restitutio varii in casibus, uti  
est in l. 3. C. de in int. restit. min. l. 2. C. si adv. donat. tot. tit. C. de  
prad. min. si minor patris necem non sit ultus, non enim aufer-  
tur ei hæreditas ut indigno l. 1. C. in quib. caus. restit. &c. non im-  
putatur adolescentiæ tempus in id quinquennium quod liberis da-  
tum est ad querelam inofficiosi movendam, l. 2. C. eod. si minor  
debitorem suum non interpellaverit, ut eum in mora constitue-  
ret & ob id usuras consequeretur, siquidem nihilominus eas con-  
sequatur, l. 3. C. eod. si tutor, qui pro tutelari officio non ca-  
vit, judicio experiatur, non obest hoc minori, siquidem ea quæ  
gesta sunt non valeant, l. 3. C. eod. exceptio non numerata pecu-  
niæ

## 24 DISPUTATIO JURIDICA

niæ &c. minoribus non currit, *l. ult. C. eod.* in genere ergo cum id quod gestum est ipso jure nullum est cessat restitutio *l. 16. pr. & §. 3. D. de min.* qui autem omnes casus simul recensitos videre desiderat, *consulat Colleg. Argentor. ad tit. de min. n. 60.* Denegatur restitutio si minor actibus publicis probatus sit ut industrius, *l. 1. C. qui & advers. quos &c.* quod tamen cum mica salis est intelligendum, quare *Vid. omnino Perez. ad tit. C. qui & adv. quos. Add. Odd. p. 1. q. 23. ab a. 1. ad a. 8.* si minor filius adversus parentes utriusque sexus vel libertus minor adversus patronum patronamve restitui velit, personarum reverentia omnem iis excludet restitutio-*nem l. 2. C. eod.* ubi elegans ab Imperatore additur ratio. *Vid. Odd. p. 1. q. 18. a. 1. & 2.* privilegiato contra privilegiatum non da-*tur restitutio, conf. Odd. dict. loc. a. 4.* hinc itaque infertur minori contra minorem utroque læso, non succurri, ita tamen distin-*guendum est ut si unus tractet de lucro captando, alter de damno evitando, hujus quam illius causa sit potior. l. 11. §. 6. D. de min.* aliud etiam dicendum si unum privilegium altero majus & dignius sit, ergo non subvenietur filiosam: privilegio SCti Macedoniani tuto contra minorem, modo is filiosam: major fuerit, *d. l. 11. §. ult. D. de min.* subvenietur quoque minori contra mulierem Vellejani SCti ope uti volentem, per *l. 12. D. de min.* modo solvendo non sit prior debitor. Ex hisce jam dictis pater quid dicendum sit de iis qui beneficio & jure minorum utuntur, *l. 3. C. de in int. rest. l. 8. §. 1. l. 11. D. de reb. eorum qui sub, &c. de quibus Sfort. Odd. p. 1. q. 3 per tot. dene- gatur & restitutio minoribus in casu l. 41. D. de min. junct. l. pen. C. de paet.* uti & adversus curatorem qui minore absente à curâ se excusavit, Princeps tamen, licet Prætoris partes hic cessent, intervenit, & excusatum curam recipere jubet, *l. 11. §. 2. D. de min.* majori etiam viginti, minori autem 25 annis si ad pretium partici-*pandum se venundari passus sit restitutio denegatur, l. 9. §. 4. D. eod.* si modo se vendiderit ignorantι suam conditionem, *l. 7. §. 2. D. de liber canf.* maxime etiam non conceditur restitutio in integrum minori si juramento ei renuntiaverit, ausertur enim minori omne beneficium si juraverit super contractu à se celebrato *l. 1. C. si adv. vendit. & Aut. Sacram. puber. C. eod. quæ Aut. hent. nullo modo*

modo trahenda ad jusjurandum impuberis, siquidem is nondum potest videri perjurium commississe, per l. 26. D. de jurej. an autem ea locum habeat in contractibus ipso jure nullis, adhuc subdice bis est, ego tamen negativæ subscriberem, ne scil. minorum quam majorum conditio deterior sit, Vid. l. 5. in f. C. de leg. Ii qui veniam ætatis impetraverunt, itidem in integrum restitui non possunt, quamvis postea non recte res suas gesserint, ne ab ipso Principe (quippe qui solus masculis viginti, fœminis octo-decim annorum hoc beneficium indulgere solet, si probent se negotia sua sedulo administrare) ii qui cum illis contraxerunt decepti & circumscripti viderentur. Vid. l. 1. & 2. per tot. C. de his qui ven. et. excipiuntur tamen quædam legitimæ ætatis jura, quæ iis qui veniam ætatis impetrarunt, nihilominus denegantur, uti videre est in l. 3. C. eod. Non impetrabit quoque restitutionem minor qui dolose majorem sedixit, l. 2. C. si min. se maj. dix. l. 3. in pr. C. cod. nam si deceptus sit, vel in computando annorum numero erratum sit, omnino erit restituendus, l. 1. l. 4. C. eod. sin autem juraverit super hoc minor non restituetur, nisi palam & evidenter ex instrumentorum probatione, non per testes, minorem se esse demonstraverit, quod si sacramentum corporaliter (videli.) tactis sacrosanctis Euangeliis uti dicit Zoz. ad tit. D. min. sit præstitum, jam nulla amplius supererit restitutio, Vid. Odd. p. 1. q. 24. Non etiam ei concedetur restitutio qui major factus ratum habuit quod minorennes gessit, tit. C. si maj. fact. rat. hab. Vid. l. 3. C. si maj. fact. a'ien. &c. de casibus autem l. 3. §. 1. & 2. D. de min. jam antea ni fallor actum, conf. Sfort. Odd. p. 1. q. 25. Idem quod de superioribus etiam de libertate dicendum, nam adversus eam semel à Prætore concessam, aut sententiam pro eâ in judicio liberali latam non restituitur minor, tot. tit. C. si adv. libert. l. 9. §. 6. D. de min. Princeps tamen aliquando causa cognita minori subvenit, l. 10. D. eod. succurritur etiam minori aliis juris remediis, uti videre est in d. tit. C. si adv. libert. l. 11. D. de min. l. 7. D. de dol. mal. in casu autem l. 11. §. 1. D. de min. in integrum minor restituitur. Denegatur & restitutio contra matrimonium aut professionem religionis, licet ad hanc ex falsa causa, ad illud per menda-

## 26 DISPUTATIO JURIDICA

cium aut subreptionem inductus minor sit. *Zoet. ad tit. D. de min. n. 32.* In delictis quoque quæ contra leges dolo malo committuntur, veluti furto, homicidio, &c. nulla prorsus admittitur ætatis excusatio, *I. 9. §. 2. l. 17. §. 1. D. de min. l. 1. C. si adv. del.* nisi delictum non dolo, sed tantum negligentia sit perpetratum, *d. l. 1. & 2. C.* & nisi quatenus aliquando ætatis miseratione poena à judece mitigatur *d. l. 37. §. 1. D. de min. l. 16. §. 3. D. de pen.* & quæ sunt plura talia loca. Hæc autem res judicis arbitrio tota relinquenda est, ne quid durius aut lenius statuat, quam ætas & causa exigant. *Perez. ad tit. C. si adv. del. n. 3. & 4.* Plura de his qui desiderat Vid. *Sfort. Odd. p. 2. q. 80. &c.* Si denique occasione damni non inconsulto accidentis, sed fato factum sit ut minor læderetur, non restituitur *l. 11. §. 4. & 5. D. de min.* ut tamen circa mortalitatem restitutio fiat dum minor temere admissit res mortalitati obnoxias, forsitan enim majorennis omnibus melius perennis talem hæreditatem non adivisset, *d. l. 11. §. 5.* uti nec videtur circumscriptus minor qui jure communi utitur, *l. ult. C. de in int. rest. min.*

VII. Restat in hoc capite ut quædam de minorum fidejussoribus adjiciamus hos autem non restitui, quamvis ipsi minores pro quibus fidejussorū restituuntur, evidens est ex *l. 13. D. de min. tit. C. de fidej. min.* nisi minor dolo adversarii sit circumventus, *l. 2. C. eod. Vid. omnino l. 7. §. 1. D. de except.* vel sine damno creditoris fidejussori succurri possit, casus sunt in *l. 2. §. 1. D. de adm. & per tut. & l. 89. D. de acquir. hær. add. l. 51. D. de procur.* ut & si minori fidejussor succedat, tum enim restitui poterit in integrum non ut fidejussor, sed ut hæres. *l. 95. §. 3. D. de fidejuss.* plura Vid. apud *Odd. p. 1. q. 48.* de patre quid dicendum Vid. *l. 3. §. 4. 9. & 10. l. 23. l. 27. D. de min.* ex quibus hi casus possunt concipi, aut enim minor filius fam: contraxit in re & nomine patris, & ejus voluntate, & tum nulla locum habet restitutio non enim tum filius potest dici esse læsus, aut gessit proprium negotium & dicendum si in peculio castrensi vel quasi castrensi læsus sit eum restitutum iri, & hoc etiam postea patri hæredi profuturum, idem in proprietate peculii adventitii, nam in ejus ususfructu (si is patri competit) ipse non restituitur, quia in eo læsus non est, non pater quia ipsi non præjudicatur, in profectio

tio autem peculio si lœsus sit, restitui ipse potest, sed hoc patri non prodest, siquidem actione de peculio conveniri potest, si autem pater conveniatur post mortem sui filii, tanquam successor, jam cessabit hæc actio, & gaudebit eâ restitutione quia filius si in vi- vis fuisset gavisurus esset. Restituitur & pater ex filii persona in casu *l. 4. C. de inoff. donat.*

## C A P U T V.

I. **Q**uarta Prætoriæ in integrum restitutionis causa est *Capitis diminutio*, definiturque quod sit prioris status mutatio §. 1. *J. de cap. dim. in l. 1. D. eod. vox prioris omissa est*, sed hoc parum refert. Status in hac definitione dicitur id quod à rerum natura; civitate, genere tribuitur, *l. 3. D. de interdict. & releg. add. l. ult. D. de cap. min.* elegantissime hunc statum describit *Ter. Eun. A. 4. Sc. 7.*  
*Principio eam dico esse liberam, civem Atticam, meam sororem.*  
 hinc triplex capitis diminutio, maxima qua quis simul & civitatem & libertatem amittit, §. 1. *J. de cap. dim.* minor sive media cum civitas quidem amittitur, libertas vero retinetur, §. 2. *J. eod.* minima denique est cum civitas retinetur & libertas, sed status hominis commutatur, §. 3. *J. eod.* triplicem hanc capitis diminutionem *Auson. Edyll. 11.* hoc versu complexus est.

*Triplex libertas, capitisque diminutio triplex.*  
 Adversus maximam aut medium capitis diminutionem passos non conceditur actionis restitutio, datur enim adversus eos, ad quos capite minutorum bona pervenerunt *l. 2. pr. D. de cap. min. l. 7. §. 2.* & *3. D. eod.* imo licet ad fiscum bona eorum sint devoluta, *l. 11. D. de jur. fisc.* pertinet itaque Prætoris, quod sub hoc titulo est, edictum ad eas capitis diminutiones quæ salvâ civitate contingunt, *l. 2. pr. D. eod.* & fiunt his qui cum sui juris fuerint cæperunt alieno juri subjecti esse, vel contra, veluti si filius fam. à patre fuerit emancipatus *d. §. 3. J. de cap. dim.* ergo cum actio per hanc capitis diminutionem creditori adversus eam passos inanis redditafit, si strictum jus spectetur, (siquidem is qui hanc capitis diminutionem patitur in imaginarium servilem statum deducatur,

## 28 / DISPUTATIO JURIDICA

*L. 3. § 1. D. de cap. min.*) æquum Prætori visum est hoc corrigere, & adversus capite minutos minutasve perinde ac si id factum non sit, judicium dare, *l. 2. §. 1. D. eod.* cum sine facto & culpa creditorum hoc contigerit, si enim per eos factum sit quo debitor capite minuatur, cessat hoc edictum, uti casus est in *l. 2. §. 4. D. eod.* Respicit hæc restitutio eas solum causas quæ capitis diminutionem præcesserunt, non autem ea quæ postea gesta sunt, *l. 2. §. 1. & 2. D. eod.* respicit & civiles solum obligationes, non naturales (quippe quæ solo æquitatis naturalis vinculo sustinentur) *l. 8. l. 9. D. eod.* uti nec eas quæ in facto magis quam in jure consistunt, *l. 10. D. eod.* In delictis etiam hoc Edictum locum non habet, noxa enim caput sequitur, *l. 2. §. 3. D. eod.* hinc servus licet manumissus ex delicto ante commissio merito convenitur, uti est in *l. 4. C. an serv. pro suo fact. post manum. ten.* Servus autem qui manumittitur non potest dici minui capite, nullum enim jus habuit, & post manumissionem demum incipit statum habere. *l. 3. §. ult. inf. l. 4. D. eod.* Publica jura hac capitatis diminutione non pereunt, *l. 5. §. 2. l. 6. D. eod.* & *l. 7. excepto* casu legitimæ agnatorum tutelæ.

II. Judicium hoc perpetuum est, & in hæredes & hæredibus datur, *l. 2. §. ult. D. b. t.* & supra modo hujus mentio injecta est.

## C A P U T VI.

I. **S**equitur quinta restitutionis species quæ Majoribus conceditur data actione rescissoria, causa autem ex qua hæc conceditur duplex est, vel specialis & nominata qualis est absentia, vel generalis & innominata quæ ex generali illa clausula quam Prætor edicto suo inseruit, datur, scil. *si qua alia mihi justa causa videbitur.* Absens pluribus modis quis dici potest, de quibus *Vid. Sfort. Odd. p. 1. q. 5. a. 6.* ad recte autem definiendam absentiam in hac restitutionis materia arbitrium judicis exigitur, qui perpendet an is qui se absentem fuisse dicit ita absuerit, ut negotiis suis superesse non potuerit, *l. 10. l. 15. §. 3. l. 32. D. ex quib. caus.*

*maj.*

*maj. &c.* Dividitur absentia juxta Oddum p. i. q. 5. a. 7. in ordinariam quæ ratione diversi domicilii dicitur, & extraordinariam quæ ratione discessus, & absentiæ accidentalis & extraordinariæ à domicilio proprio; & subdividitur in necessariam & voluntariam, illa est quæ non sponte, sed ad præceptum superioris, cui parendum est; suscipitur, estque vel laudabilis quæ præmio & honore digna est, ut legatorum, militum, vel vituperabilis quæ in pænam à delinquentibus suscipitur, vel indifferens quæ per se nec laude nec vituperio digna est, in qua tamen quis necessitate constituitur; voluntaria absentia dicitur, quæ penitus sponte, nec alicuius jussu, sed vel in proprium, vel amicorum commodum utilitatemque suscipitur, quæ itidem vel laudabilis ut in studio &c. vel vituperabilis ut in contumace, vel indifferens, ut in mercatore; De ordinaria absentia nihil dicendum nam res clara est, siquidem hi qui hoc modo absunt, potuis adesse dicendi sint, cum non solum non impediatur rerum suarum curam gerere, quin potuis cum domi sint negotia sua commodius administrare possunt, *arg. l. 26. §. 7. D. ex quib. caus. maj.* Quod extraordinariam quæ necessaria simul & laudabilis est, spectat, ea justa causa est restitutionis & quidem indistinctè licet cā absentes procuratorem nullum domi reliquerint, hinc ergo restituuntur milites eorumque duces, dum in procinctu, acie, hybernis, castris sunt, *l. ult. C. de restit. mil. &c. l. 45. D. ex quib. caus. maj.* exceptio tamen est in *l. 34. D. cod.* nec interest sine in patriâ, siue extra patriam communī bono militiam gerant, *l. 7. l. 35. §. 4. & arg. d. l. 45. D. ex quib. caus. maj.* ut & militum hæredes, *l. 1. C. de restit. mil. & arg. l. 35. §. 6. D. cod.* modo non veniant contra factum defuncti, *l. 7. C. de restit. milit.* eorum uxores tot. tit. *C. de uxor. milit.* ii qui mittuntur ut milites duocrent vel reducerent, &c. *l. 35. pr. D. cod.* militum medici, *l. 33. §. ult. D. cod.* *Vid. Odd. p. i. q. 6. a. 9.* Militibus in eo etiam similes sunt ii qui Reip. causa absunt, quales sunt pro Procon'ui, Legatus, Procurator Principis, Præfector Ægypti, *l. 32. l. 35. §. 1. 2. & 3. D. cod.* modo sine dolo malo absint, uti id volunt

## 30 DISPUTATIO JURIDICA

verba edicti Prætorii, qui dolus colligitur si cum revertendum ipsis est non revertantur, &c. l. 4. & 5. l. 37. D. eod. abesse tamen Reip. causa intelliguntur sine dolo malo simulac ab urbe profecti sint licet nondum provinciam attigerint, & ii qui eā excesserunt, donec in urbem revertantur, & ad revertendum talia illis tempora computabuntur, quæ lex revertentibus præsttit, V.d. l. 32. pr. l. 35. §. 7. 8. 9. l. 38. §. 1. D. eod. Si quis sèpius Reip. causa absuit, quid statuendum sit patet ex l. 28. §. 3. D. eod. Qui Reip. causa absuit is etiam adversus eum qui pariter Reip. causa absuit restituetur si de aliquo damno juste queritur uti est. in l. ult. D. eod. Ii qui pro civitate legationis aut alio quopiam ob quod abesse coguntur, munere funguntur, potius sub generali edicti clausulâ contineri videntur, quamvis iis aequæ ac cæteris qui Reip. Romanæ causa absunt, succurratur l. 26. §. ult. D. eod. l. 1. C. ex quib. caus. maj. rest. Justa quoque causa restitutionis est si quis absit ex causa extraordinariâ indifferenti, in quâ quis (ut supradictum) necessitate constituitur, quales sunt ii qui à latronibus capti sunt, aut alias in vinculis injuste detinentur, de quibus Vid. l. 2. C. ex quib. caus. maj. l. 1. l. 10. l. 11. l. 9. l. 14. l. 15. D. l. ult. G. eod. l. 2. §. 1. l. 3. D. eod. & quæ sunt plura talia loca. Vid. omnino Odd. p. 1. q. 7. ab a. 1. ad a. 14. In eadem causa sunt hi qui absunt ex voluntaria causa & laudabili, quales studiosi studiorum gratia l. 28. D. eod. junct. l. 14. C. de adv. divers. judicior. idque propter publicam utilitatem quæ hic potissimum versatur, Vid. omnino Odd. p. 1. q. 7. a. 14. Idem de mercatoribus dicendum arg. l. 5. §. 3. D. de jure immun. nec immerito quippe qui Reip. sint utilissimi, nec ulla sit regio ita fertilis, omnibusque abundans, quæ non & aliarum regionum mercibus indigeat unde Virgil. lib. 2. Georg.

Nec vero terra ferre omnes omnia possunt;  
& paulo post:

*Sola India nigrum.*

*Fert ebenum, solis est thurea virga Sabais.*  
Consul. Odd. p. 1. q. 7. a. 16. De vituperabili necessariâ & voluntariâ absentiâ non est quod quidpiam dicamus, cum certissimum sit

sit neminem ex ea causa restitui, quin potius insuper puniri.  
*arg. l. 2. §. 8. Vers. quid enim si quis D. si quis cant. in judic. sif. caus. &c. Vid. Colleg. Argentor. ad tit. D. ex quib. caus. maj. n. 13.*  
 Hæc ita si absens contra præsentem restitui desideret, si vero præ-  
 sens contra absentem hoc Prætoris imploret officium, sine distinc-  
 tione ex quacumque causâ, sive justâ, sive injusta absit, præ-  
 senti subvenit, *l. 1. pr. l. 21. pr. & §. 1. l. 22. pr. & §. 1. l. 23. per  
 tot. l. 24. 25. 26. pr. & §. 1. 2. & 3. D. eod. Add. Colleg. Argentor.  
 ad tit. Dig. ex quib. caus. maj. n. 16. 18. &c. ad n. 22.* Jure novo  
 ex Justiniani constitutione plenissimum jus suum præsens contra  
 absentem conservat, si adito præside, vel libello ei porrecto  
 querimoniam suam ei detulerit, de qua re *Vid. l. 2. C. de ann. ex-  
 cept. &c.*

II. Omnibus his qui ex necessaria & laudabili vel indifferenti  
 causa absunt succurritur ope in integrum restitutionis, licet nul-  
 lum Procuratorem domi reliquerint, *l. 6. §. ult. D. ex quib. caus.  
 maj. l. 26. §. 1. D. eod. Odd. p. 1. q. 30. a. 4.* idem de voluntaria  
 laudabili dicendum, nam ea fine inspecto Reip. utilis est, & ea  
 tenus quasi necessaria. *Odd. loc. dict. a. 3. & sic etiam teneo uno  
 in casu de indifferenti voluntariâ, ob eandem rationem, exem-  
 plum est in mercaturâ, ubi prærogativa publicæ utilitatis adest;*  
 alias omnino tenetur absens ex hac causa procuratorem domi re-  
 linquere, quem si non reliquerit non restituitur. *Odd. dict. loc.  
 Quod si domi relictus sit procurator ex ejus gestione lœsi absen-  
 tes non sunt restituendi, cum ordinariam mandati actionem ha-  
 beant l. 39. D. eod. nisi procurator non sit solvendo, aut culpa  
 careat, & de eo casu intelligenda verba l. 26. §. ult. D. eod. sive  
 habuit procuratorem: Vid. Clar. Voet. Comp. suo ad tit. D. ex quib.  
 caus. maj. Plura qui scire desiderat consulat omnino, *Odd. p. 1.  
 q. 29. & 30. per. tot.**

III. Est & altera justæ absentiæ causa quæ oritur ex persona  
 Magistratus, si vel sui copiam non fecit, jus non dixit, vel  
 longo nimis tempore distulit quo factum est ut actio eximeretur,  
 de quo Magistratu loquitur edictum in *l. 1. §. 3. D. cod. Add.  
 l. 26. §. 4.* nisi tamen causa cognita denegaverit actionem tum  
 enim

### 32 DISPUTATIO JURIDICA

enim cessat restitutio, d. l. 26. §. 4. & potius appellandum est, Confer Odd. p. 1. q. 13. prioribus art. 6. Quod attinet impedimentum advocati, procuratoris, &c. de eo Vid. Odd. p. 1. dist. q. 13. a. 8. & 9. hoc obiter.

IV. Explicita causâ speciali ex qua juxta hoc Edictum majoribus 25. annis conceditur restitutio, æquum est ut & de generali clausula breviter videamus, est hæc utilissime edicto inserta, cum plurimi aliquando eveniant casus qui non sigillatim enumerari possunt, ex quibus tamen auxilium restitutionis indulgendum est, Vid. l. 26. §. 9. D. ex quib. caus. maj. l. 17. §. 1. D. eod. modo id per leges, plebiscita, SCta, edicta, decreta Principum licebit, hoc est si iis non sit expresse prohibitum, l. 1. §. 4. D. eod. restituitur ex hac quilibet, qui propter impedimentum necessarium rerum suarum curam gerere non potuit, & propter hoc læsus est l. 16. D. eod. oriuntur autem hæc impedimenta vel à personâ ipsius læsi, vel à personâ adversarii, vel à personâ judicis, vel à personâ alicujus tertii, aut à casu fortuito juxta Odd. p. 1. à q. 8. ad. q. 15. non tamen ex hac clausula conceditur restitutio contra longam vel longissimam præscriptionem, ob pristini domini ignorantiam, prohibente id l. ult. in fin. C. de long. temp. præscr. arg. l. 4. C. de præscr. 30. vel 40. ann. Vid. Bachov. ad Trentl. V. 1. D. 11. Tb. pen. L. A. Zoef. in Comment. suo ad tit. D. ex quib. caus. maj. n. 6. &c. Perez. Prælect. in l. 2. C. tit. 34. n. 13.

V. Restat nunc ut actionem ipsam quæ ex causis jam enumeratis conceditur describamus, est hæc præatoria, rescissoria, in rem, arbitraria, competens ei cuius res vere usucpta est, & ejus hæredi, (nihil autem interest utrum à præsente cum ipse dominus justa de causa absens esset, an vero ab absente quacumque de causa cum dominus ipse præsens esset) aduersus usucapientem ejusque hæredem, ad id ut rescissa usucaptione res usucpta restituatur cum omni suâ causâ Vid. §. 5. f. de act. l. 30. l. 26. §. 8. l. 28. §. ult. l. 29. D. ex quib. caus. maj. Competit hæc actio olim intra annum utillem, l. 35. D. de Obl. & Aet. pro quo jure novo substitutum est quadriennium continuum, per l. ult. C. de temp. in int. restit. & supra

supra jam monitum. Si læsio sine usucapione sit facta, jus agendi aut aliud quid simile extinctum absenti reviviscit. *l. 17. D. ex quib. caus. maj. Vid. Clar. Voet. Compend. suo ad d. tit. D. ex quib. caus. maj.*

## C A P U T VII.

I. **S**exta restitutionis species est quæ datur ob *Alienationem iudicij mutandi causâ factam*, hac enim eis subvenitur qui dolo malo adversarii hoc pacto in molestias & litium detrimenta incidere; Dicitur is *judicij mutandi causâ alienare* qui dolo malo rem, quam judicio timet vindicandam, alienat, (vocabulo hoc paulo latius accepto ita ut talis actus per quem dominium evanescit, licet id ad alterum non transeat, sub eo contineatur, exempla nobis suppeditantur in *l. 3. §. 1. D. de alien. jud. mut. &c. l. ult. D. de litig.*) & per gravioris adversarii substitutionem judicium mutat, alterique conditionem duriorem facit, fit autem durior conditio juxta *Han. in not. ad Wesemb. ad tit. D. de alien. jud. mut. &c. n. 2.* fere tripliciter qualitate personæ adversarii, de qua *Vid. l. 1. §. 1. l. 2. l. 3. pr. add. l. pen. D. eod. mutatâ qualitate actionis, l. 3. §. 1. D. eod. & mutato negotii statu l. 3. §. 4. D. eod.*

II. Ut autem quis recte possit dici *judicij mutandi causâ alienationem fecisse* varia requiruntur, ut fiat alienatio rei quam judicio vindicandam quis timet, utistatim dictum; ut ea fiat inter vivos non ultimâ voluntate, *l. 8. §. 3. D. eod.* siquidem ab ea omnis dolus abesse præsumitur, quo autem titulo, lucrativo an onerofo nihil refert, *l. pen. D. eod. judicij mutandi causâ uti hoc ex rubr. tit. D. & C. manifestum est, add. l. 4. §. 1. D. eod. & quidem futuri non præsentis, Auth. litigiosa l. 2. & l. ult. C. de litigios. fraudulenter dolo malo l. 1. D. eod.* hinc non tenebitur is qui rem alienat ne propter eam sèpius litigaret, hæc enim verecunda cogitatio ejus non est vituperanda, uti est in *l. 4. §. 1. in med. D. eod.* similis casus est in *d. l. 4. §. 3.* nec etiam is qui dolo malo desit possidere, nec tamen judicij mutandi causâ id fe-

## 34 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

cit, & vice versa. *Vid. d. l. 4. §. 1. pr. D. eod.* nec etiam is qui bona fide redhibet rem emptam venditori, vel solvit *l. 8. §. 5. add. §. 4. l. 9. l. 10. D. eod.* Debet & adversarii interesse, *l. 4. §. 5. D. eod.* quid enim si res non fuerit petitoris, aut ea sine culpa alienantis perierit? *d. l. 4. §. 5.* quid si alienans paratus sit utile judicium pati, perinde ac si possideret? *l. 3. §. ult.* quid denique si actor conuento possessore rem ipsam aut ejus estimationem nactus sit? *l. un. C. de alien. jud. mut. caus. fact. junct. l. 95. §. 9. D. de solut.* non tamen vice versa, siquidem possessori nullo modo proposit id quod praestitit alienans, cum nihilominus rei vindicatione is conveniri possit, dictante id *d. l. 95. §. 9. in f. D. de solut.*

III. Concurrentibus itaque his requisitis datur actio in factum rei persecutoria arbitaria *l. 8. pr. D. de alien. jud. mut.* ex delicto, læso ejusque hæredi, *l. 4. §. ult. l. 5. 6. & 7. D. de alien. jud. mut. caus. fact.* olim intra annum, jure novo intra quadriennium continuum *l. ult. C. de temp. in int. ref.* *Vid. que sup.*; ad id quod interest, *l. 1. D. de alien. jud. &c. l. 7. §. 4. l. 4. §. 5. cod.* contra fraudulentum alienatorem, non contra hæredem *dict. l. 4. §. ult. D. eod.* nec refert utrum res jam usucapta sit ab eo cui alienata est nec ne, *dict. l. 4.* Utilis actio competit contra pupillum vel adolescentem si tutor vel curator alienationem fecerit *l. 10. §. 1. D. eod.* Datur quoque rei vindicatio contra novum possessorem ex *l. un. C. de alien. jud. mut. caus. fact.*

IV. Hæc actio an interdum in judiciis personalibus etiam locum habeat, valde est controversum; quod ad me, ego nihil definio, *Vid. Zoof. & Perez. ad tit. D. & C. de alien. jud. mut. caus. fact. n. ult. & Han. ad Wesemb. dict. tit. Dig. in fine.*

## C A P U T VIII.

I. **A**gmen earum, quas sub finem Capitis primi enumeravi, specierum ex quibus in integrum restitutio datur, claudit *Iustus error*, de quo est edictum Prætoris in *l. 1. §. 6. D. quod fals. tut. aut. gest. esse dic.*, & exempla subjuncta habemus in *ll. seqq.*

*seqq. ejusdem tituli. Sfort. Oddus locis supra §. quarto Cap. sexti paulo post medium allegatis, hanc, inter eas, quæ ex clausula generali l. i. §. ult. D. ex quib. caus. maj. conceduntur, restitutio-*  
*nrum species, enumerat, qui consulendus. Hæc sufficiant.*

## A D J E C T A.

I.

*F Idejussor in majorem summam acceptus quam debet reus principalis tenetur in concur-*  
*rentem.*

II.

*Eliusfamilias de pleno adventitio peculio non posse facere testamentum.*

III.

*Inter legatarios verbis tantum conjunctos jus accrescendi locum habere negamus.*



25 · ЗІЛДАЛУӘСІЛІ